



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§. 6. Protestantium literæ ad Brandebugi Marchionem, ejusque Conjugem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI. A.C 1546. Has literas Archiepiscopus cum summa animi dimissione recepit, easque per universum Electoratum suum divulgari, earumque executionem fieri præcepit. Postea in omnibus Ecclesiis publicas preces decrevit, ut Deus periculum Imperio imminens avertere, pacemque inter Principes restituere velit.

§. VI.

*Protestantium literæ ad Brandeburgi
Marchionem, ejusque conjugem.*

Sleid. p.603. Sub idem ferme tempus Protestantes ad Franciæ & Angliæ Reges suos ablegarunt Oratores, qui utrumque ad ferendas belli suppetias sollicitarent. Verum ex accepto utriusque responso facile perspexerant, quod in petito auxilio nulla eis spes esset reposita: Die autem decima quinta Julii datis ad Brandeburgicum Marchionem literis hæc eidem exponebant. Cum te Protestantium fœderi adscriptum esse constet, monemus te, ne feras arma contra nos, nam alioqui rem omnem evulgabimus, & ubique, quod promissi fidem ignavus violaveris, demonstrabimus. Ast ad hæc ille respondit: *Cæsari milito, nec id diffiteor, quandoquidem is mihi cavit, non peti Religionem, sum quidem fœderis*
Smal-

Smalcaldici, verum Augustanæ tantum confessionis ratione: quod ad privatum fœdus attinet, in eo Cæsar excipitur claris verbis: id cum ita sit, non est, cur hanc meam militiam ægre feratis, aut aliquid a me contra fidem datam factum esse dicatis.

Sæcul. XVI.
A.C. 1546.

Accepto hoc responso Protestantes scriptum ediderunt, in quo Brandeburgici Marchionis rationes confutare, ac ex propriis ejusdem literis demonstrari nitebantur, quod ipsis, eorumque sociis suppetias ferre adstringatur, si id necessitas suadet, præcipue vero, si quis ipsis bellum nuntiat, prout Cæsarem fecisse dicebant.

§. VII.

Diploma Pontificis contra Protestantes.

Cum interim Germania tantis agitur tumultibus, summus Pontifex Romæ die decima quinta Julii diploma edidit, pluribus in eo declarans suam sollicitudinem, qua ab Ecclesia deficientes ad salutem revocare, hancque in rem Synodum inchoare fategit, nec minus in illo hæreticorum cunctas leges vilipendentium pertinaciam deplorans, cunctos Christi fideles hortatus est, *ut jejniis atque precibus Deum soli-*

*Sleid. p 604.
Thuan hist.
lib. 2. n. 7.*